



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita P. Balthassaris Alvarez, Societatis Iesv Religiosi

Puente, Luis de la

Coloniae Agrippinae, 1616

Cap. LII. Proficiscitur Toletum, vbi Prouincialis Officium auspicatur, &
quarto mense vltimum diem obiit Belmontij

urn:nbn:de:hbz:466:1-42916

rent; suamque voluntatem diuinæ semper accom-
modarent: à qua didicerat experientiâ, nostrum
dependere remedium & solatium; & eandem so-
lere aduersa in prospera commutare; quemad-
modum in seipso expertus est, uti iam vidimus.

C A P V T LII.
PROFICISCITVR TOLETVM,
*vbi prouincialis Officium auspicatur,
& quarto mense vltimum diem
obiit Belmontij.*

1580.



VM P. Balthassar adeo esset be-
nè probatus, ac resignatus, & in
eo perfectionis gradu, quem
vidimus: voluit Deus D.N. fru-
ctum iam maturum, adeoque
grati saporis pro mensa cæ-
lesti, decerpere. Nam quemad-
modum laborem Peruanæ profectio-
nis, ut ibi
Prouincialis munere fungeretur, tanquam me-
rendi materiam ei obtulit: (siquidem, quod in se
fuit, prompta ac generosa voluntate eam acce-
ptauit) ita voluit eiusdem merita multum augeri
ex illa promptitudine, qua se obtulit ad idem
Officium per triennium in Prouincia Toletana
obeundum, acceptans eius laborem paulò plus
quàm trium mensium, vbi mortuus est tanquam
bonus miles in ipso conflictu, fideliter munere
suo fungens.

ELAPSA igitur quadragesima Anno 1580. di-
scessit Villagarcia cum ea præparatione, quam
retu-

retulimus cap. 48. cum Christo scilicet crucifixo in corde suo, (vt ipse dicebat,) & tribus eius fidelibus comitibus, paupertate, contemptu, ac dolore: magnas reputans diuitias, honorem, ac delicias, amabilem hunc & pretiosum dulcis sui Iesu comitatum. Venit Vallis-Oletum, vt Collegij sui Fundatrici, alijsque nobilibus personis, quibus singulariter erat obstrictus, valediceret. Accidit autem, vt ego tunc ibi essem: factus enim fueram Sacerdos in Sabbatho *SATIANTES* siue ante Dominicam Passionis die scilicet gloriosissimi sancti Iosephi, habuique primitias meas die Annuntiationis Beatissimæ Virginis in Collegio sancti Ambrosij: retinuerunt autem me per totam hebdomadam sanctam, & sequentem in domo professa, vt iuuarem in excipiendis confessionibus. Cum igitur ego P. Balthassaris subditus essem, accepit me socium, ad Visitationes & alia negotia peragenda: quod meæ tribui foelicitati, tunc enim adhuc magis expertus sum spiritum, feruorem, ac verborum & rationum eius vim: cumque ex abundantia cordis, os loquatur, videbantur mihi a *labia eius* sicut cælestis sponsi *lilia* a *Cant. 5. 13.* *distillantia myrrham primam*: non enim solum suauius & iucunda erant; sed spirabant etiam fortem quendam, & acutum, valdeque penetrantem odorem; & omnia distillabant primam illam & electam myrrham paupertatis, contemptuum, ac dolorum diuini huius sponsi, quo adeo occupatum & repletum habebat cor. quare apud eos, quos visitabat, tanto spiritu ac feruore de tribus his rebus loquebatur, vt illorum corda penetraret, & inflammaret; excitaretque desiderium non

modò de eisdem meditandi, sed eadem etiam imitandi; & adhuc inter ambulandum prodibant ex eius ore aliqua verba de hoc argumento, quæ me, valde alioquin frigidum, quasi ignem accenderent. Optassem ego sanè sanctum virum ad Prouinciam Toletanam vsque comitari, vt eius dulci sanctaque Societate fruerer; & aliquid de tribus illis bonis comitibus, quos in suo corde gerebat, mihi adhæresceret: sed non fuit mihi concessum, quare redij Villagartiam, vt quod audieram, alta mente retinerem, ac ruminarem. Intra octo igitur dies Vallis-Oleto discessit, & ad suam Prouinciam peruenit. vbi aliqui, qui eundem in suis initijs asperiores, ac rigidiorem erga se & ad alios nouerant, credentes eum adhuc in seueritate sua permanere, timorem aliquem alijs incusserant: sed breui deceptionem hanc deposuerant, coepit enim humilitatem, suauitatem, & humanitatem, qua erat à Deo exornatus, omnibus ostendere. Quare cùm primùm ad Toletanam domum peruenit, insignem ostendit senioribus omnibus Patribus animi submissionem. iuit enim ad cubicula P. Francisci Stradæ, & aliorum Patrum antiquiorum, qui ibi erant: flexisque genibus petijt ab eis manum, vt oscularetur: & tunc P. Strada dixit: Prouincialis, qui tam demissè genua flectit, bonus erit Prouincialis: nam *b vbi est humilitas, etiam est sapientia* cælestis, vt dixit Sapiens; & Christus D. N. qui ad eò charos habet humiles, cælestem lucem prudentiamque eis communicat, ad rectam gubernationem: quem admodum sancto huic viro datam esse ostendit in ipso Visitationis exordio, ita res totius Prouinciae

b Prov. 11. 2

ciæ prudenter ac maturè disponens, vt magnum omnibus adferret solatium: cuius rei fama cum ad alia Collegia perueniret: vnumquodque Collegium cupiebat ad se citius peruenire.

SOCIUM Officij sui habuit P. Alphonsum Montoium, qui postea Officium illud in Prouincia Castillæ gessit, postquam fuerat Domus Professæ Præpositus, vir sanè magnæ religionis, scientiæ ac prudentiæ, qui ordinem referebat, quem P. Balthassar in itinere ipso seruabat. Mane enim tres aut quatuor horas orationi tribuebat; cum ad hospitium perueniebat, faciebat Sacrum, gratias agebat, & particulare examen: & tunc sumebant cibum, & post breue temporis spatium, (nam cum esset ver ad omnia suppetebat) spirituales aliquam lectionem habebant, & horas suas persoluebant: postea vsque ad vesperam toto itinere ordinariè vacabat orationi; nocte verò legebat Matutinum, seruato in omnibus ordine, quem habebat in Collegijs. in quorum Visitatione eodem exemplo & omnium ædificatione procedebat, quem in Prouincia Aragonia seruauerat. Sed cum maximè videretur in suo Officio feliciter progredi, voluit Deus eius progressum intercipere intra quatuor menses, felici quadam morte, qualis fuerat sancta eius vita.

CUM enim Toletanam domum Professam, Complutensem Collegium, & Domum Probationis Villareensem Fontanam visitasset, faciens magno seruire exhortationes suas tam domesticis, quàm sæcularibus in templo; vt omnes, quoad posset, diuino amore inflammaret, cœpit Villareij diligentias præscriptas adhibere, ad obtinendum

nendum magnum Iubilæum à Gregorio XIII. pro foelicitatibus Ecclesiæ progressu concessum. ieiunauit ergo cum magna seueritate vtraque septimana à Iubilæo præscripta, nemine potente illum impedire; quamuis ob suam debilitatem satis esset excusatus. Ieiunio illo debilitatum est valde corpus; quamuis sensim spiritus ad id, quod illi imminerebat, disponeretur. Accessit temporis illius magnus æstus, & quem in ipso itinere mense Iulio sustinuerat: quare cum ad Collegium Belmontense peruenisset, incidit in febrem: quam nec medici, nec domestici magni faciebant: at sanctus Pater intellexit horam suam peruenisse: & ita se ad mortem coepit præparare. Confessus est generaliter socio suo P. Alphonso Montoio; communicauit magna cum deuotione; petijtque valde tempestiuè, & accepit extremam vñtionem, editis magnis indicijs, reuerentiæ, amoris, & æstimationis Sanctorum horum Sacramentorum; & gratiarum, quæ per illa sibi communicabantur; ac beneficij, quod accipiebat à Deo, volente ipsum ad se vocare. Nolebat Visitationes admittere; vt eo esset expeditior ad orandum, & agendum cum Deo suo. Et cum ei socius diceret, vt aliquem constitueret suo loco, respondit: ne, quæso, de negotijs mecum agas, non est enim tempus. Medicus volebat ei periculum indicare, & quam prope finem, eius esset vita; coepitque aliquid per ambages quasdam insinuare, nolens apertè id dicere: quem cum sanctus Pater benè intelligeret, dixit valde expeditè, & sine vlla hæsitacione: non est cur timeas, apertè mihi dicere, imminere mihi mortem; quia nihili facio viuere,

nec

nec doleo quòd moriar. Quidam alius Pater videns pacatum animum, quem ostendebat, ad ex-
eundum de carcere huius corporis, interrogavit:
an gauderet, & libenter moreretur? cui respon-
dit: si in aliquo tempore: cur non iam? quo re-
sponso bonæ suæ conscientiae testimonium, & sa-
lutis suæ fiduciam indicavit. Sed quid mirum,
quòd eam habuerit in fine tam Sanctæ vitæ: cum
in eius medio simili periculo affectus ea dixit,
quæ supra cap. 28. retulimus? præcipuè cum (ve-
etiam superius est dictum) revelationem habue-
rit, se esse ex numero electorum ad cælum. Acces-
serunt omnes, qui in Collegio erant, ad hunc eius
transitum, multis profusis lacrymis. Et quamvis
omnes optarent, in ea hora aliquid ædificationis
ex eius ore audire: vir tamen Sanctus, noluit eo-
rum orationem interrompere; nec suum inter-
num cum Deo colloquium: in cuius præsentia
cum magno silentio & quiete finem imposuit suæ
peregrinationi, reddens spiritum suum Deo, se-
ptimo die suæ ægritudinis, hora quinta vesperti-
na, die 25. Iulij, sancto Iacobo Apostolo sacro, cui
ipse erat valde piè addictus, Anno 1580. ætatis suæ
47. & Societatis 25. Valde omnes senserunt, se pri-
vatos tali virtutum exemplari, & utilitate, quam
ex eius gubernatione in ea Prouincia sperabant.

Cum eius obitus in Oppido innotuisset, plu-
rimi famam eius sanctitatis permoti, accesserunt,
ut saltem mortuum viderent, de quo non potuif-
sent aliam noticiam habere. Et quoniam Domi-
nus noster voluit, seruum suum ad eò sibi in vita
charum, post mortem honorare: inspiravit toti
Collegiatae illius Ecclesiæ capitulo, ut etiam non

vocatum, solenniter ad eius funus accederet. Fuit autem & funus ipsum & exequiæ cum magna solennitate celebratæ; & corpus eius in testudine repositum, vbi solent aliorum Religiosorum corpora collocari.

QUANDO in Castilliam peruenit nuncius de eius morte magnus fuit omnium sensus ac dolor, tam Societatis, quàm sæcularium grauissimarum personarum, præcipuè Ducissæ de Frias, quæ statim atque intellexerat de eius ægritudine, miserat ex Villalpando mulam vnā rebus multis ad eum subleuandum & confortandum aptis oneratam, quando autem nuncius de eius morte peruenit, tantus fuit Dominorum illorum, qui illic aderant dolor, ac sensus, vt consolationis alicuius causa P. Rectorem Villa-garcensem statim accerserent. Nec minor fuit dolor D. Magdalensæ Vlloræ Fundatricis Collegij Villa-garcensis, ex quo ille in alteram Prouinciā discesserat, cuius Capellani solennissimum ibi fecerunt Officium Vigiliarum & Sacri musicæ cantati; idemque fecerunt illius Collegij Patres, vbi recens valde erat Rectoris ac Patris sui memoria. &, quamuis plurima Sacra in diuersis partibus pro eo dicerentur, maximus fuit tamen numerus personarum (inter quas valde multæ erant nobilissimæ, & valde doctæ) quæ eius Orationibus, tanquam viri Sancti, & multum in cælo potentis, sese commendarent. Ego obstupui & veneratus sum occulta iudicia Dei, quòd voluerit talis viri vitæ filium abrumpere in tali ætate, & oportunitate: cum scilicet, iuxta naturæ cursum, diu adhuc superuiuere potuisset; secundum gratiæ verò oportuni-

tunitatem habebat aptam & commodam ad magnos fructus in Dei Ecclesia in sua Religione, & extra illam proferendos. Sed quoniam ipse est huius vineæ Dominus, eam plantat, putat, & palmites abscindit, quando & quo modo vult; ita ut nullus ei dicere possit, *c. cur ita facis?* non enim à Deo exigenda ratio est eorum, quæ facit; sed id solum pro ratione & quidem iustissima omnibus sufficere debet, quod ipse fecerit; ut omnes, sese subiiciant, & tanquam bonum rectumque accipiant, & amplectantur, quod ipse fecerit. S. Antonium Paduanum in minori adhuc ætate, quam P. Balthassarem ad se vocavit; etiam si fructus, quem in animabus faciebat, esset extraordinarius; & paulò maioris ætatis erat sanctus Franciscus, & S. Thomas Aquinas, alijque Sancti, cum eos ex hac vita deduxit: non habita ratione, quod libros, aut insignia alia facinora inchoassent, nec perfecissent, Deus enim numeratos habet dies iustorum, & meritorum, ac præmiorum gradus; quare cum eius dispositio & consilium locum iam habuit, eos vocat, ut in cælesti gloria in loco proprio collocet; & eadem operâ remanentes adhuc in hac vita monet, ut in hoc itinere festinemus, simusque vigiles, & benè parati ad hanc vitam deferendam: nam, nobis minimè cogitantibus, veniet filius hominis, ut vitæ nostræ rationem accipiat; & vel diligentiam nostram in eius obsequio remuneret; vel puniat incuriam in eius legis observatione admissam.

CAPVT